

De substantivorum Umbricorum declinatione scripsit
Dr. Armin. Frider. Zeyss.

Particula II.

§. 23.

Ablativus singularis in a cadebat, ut esa mefa spefa Fisovina VI. b, 9. 14., mefa spefa VI. b, 9., mefa IV. 14.*; vestidia II. b, 27., IV. 14. 19.**; angla VI. a, 1. 5. 6.***, parfa VI. a, 1., i. e. parra, peica VI. a, 1., i. e. pica†, supa II. b, 30.††. Adde ablativos absolutos, quos vocant, mefa vistida feta II. a, 13. et ablativos, quibus particulae ku, i. e. cum, et per, i. e. pro, affixae sunt: asaku II. b, 39. 43., tutaper Ikuvina I. a, 5. 8. 12. 15. 19. 21. 25. 29. 31. I. b, 2. 5., sive tutaper Iiuvina III. 29—30. et 24. (ubi tutape Iiuvina scriptum est), sive totaper Iioovina VI. a, 23. 45. 53—54. 55. 58. VI. b, 1. 3. 7. 9. 15. 19. 22. 26. 28. 35. 43. 45. (ubi in archetypo perperam totaper Iiovinar exaratum

* Not. 12. Casus vocis mefa IV. 14. ablativus habendus est propter imperativum purtuvitu, quem pro purtupite, quod in archetypo est, legendum esse in not. 13. demonstravi.

** Not. 13. Cum ablativo vestidia IV. 14. et 19. imperativus purtuvitu iunctus est, IV. 14. enim pro purtupite, quod in archetypo invenitur, purtuvitu legendum esse comparato IV. 17—18. et 19—20. apparet. Item collato IV. 17. cum IV. 14. et 19. vesveda, quod archetypum illic exhibet, in vestida vel, ut Grotefend. P. VII. 32. vult, in vestidia mutandum esse intelligitur. Purtuvitu autem in quarta tabula cum ablativo iungi IV. 5—6. et 22. probatur.

*** Not. 14. Cum ablativo his locis aseriato est et anseriato fust eodem modo iuncta sunt, quo I. b, 10. et VI. b, 48. anferiatu etu sive aseriato etu, itemque I. b, 8. et VI. b, 47. imperativus aferiatu sive aseriatu cum instrumentali avef sive avif.

† Not. 15. Nominum parfa et peica VI. a, 1. casum Grotefend P. VI. 1. accusativum esse putat, sed quum nominum curnase et peiqu, quae nominibus parfa et peica addita sunt, casum ablativum esse manifestum sit, dubitari non potest, quin antecedenti accusativo aveis aseriatu non sint apposita.

†† Not. 16. Si II. b, 30. supa spantea pertentu confers cum IV. 8. supes sanes pertentu, supa ablativum singularis esse facile intelligis.

est) VII. a, 3—4. 10. 21—22. 26. 32. 35. 37. 41. sive totaper Iovina VI. a, 25. 34. 35. 43. VI. b, 6. VII. a, 6—7. 9. 19. 24. 53., i. e. pro urbe Iguvina, petruniaper natine II. b, 35. (quo loco in archetypo male petruniapert natine legitur).

§. 24.

Casus localis, id quod §. 9. explicavi, tres sunt terminationes. Et primae quidem integra forma mem est, quod ad primitivam nominis formam annecti solebat, ita ut in amem hic casus exiret. Huius autem inclinamenti iam antiquo tempore ea facta est mutatio, ut m finale abiceretur, quare pro ake⁹uniamem, quod I. b, 16. legitur, VI. b, 52. acesoniame invenitur. cf. asame deveia VI. a, 10. et rupiname I. b, 35. et 36. sive rubiname VII. a, 43. et 44. Iterum terminatio illa ita mutata est, ut pro a vocali primae declinationis propria ante me exitum e poneretur. Nec vero illo modo mutasse terminationem localem satis habebant Umbri, etiam e extremum, atque adeo, quod unum ex illo inclinamento reliquum erat, m abiciebant, qua mutilatione factum est, ut localis casus a dativo iam non differret. Nam ut VI. a, 46. toteme Iovinem et VI. a, 26. toteme Iovine, ita VI. a, 36. et VI. b, 29., qui loci ad verbum cum illis conveniunt, tote Iovine sive tote Iiovine, i. e. in urbe Iguvina, legimus. Accedit, quod pro ake⁹uniamem sive acesoniame, quae exempla supra attuli, VII. a, 52. acersoniem et I. b, 43., qui locus illi par est, ake⁹unie invenitur, nam etiam hanc formam utramque casus localis esse apparet ex ipsis his locis, qui interpretandi sunt: „iuvencabus tribus in ara facito Tursae Ioviae.“*. Item pro rupiname sive rubiname, quae supra memoravi, I. b, 27. rupinie et VII. a, 6., loco illi simili, rubine** positum est. Etiam tafle II. a, 12. i. e. in tabula***, huc referendum est.

* Not. 17. Etiam Grotefend. has formas, quas quidem P. II. 31. non dubitavit ablativos dicere, recte P. III. 18. V. 19. et 28. locali casui tribuit, sed contra eius vim, turificationem de acerra illo nomine designari opinans, cum acerra interpretatus est. Ake⁹unia autem sive acersonia, quamquam Latinorum acerra est, certe his locis non arcula est turaria, sed ara, quae quidem acerrae significatio Pauli Diaconi (ed. Lindem. p. 16.) verbis probatur: „ara, quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant“. Atque ad hanc quidem significationem Acerrarum nomen, quod tribus oppidis erat Campaniae, Umbriae et Galliae transpadanae, et Accerroniae, quod Lucaniae oppidum habebat, videtur revocandum esse.

** Not. 18. Harum formarum casum localem esse ut censeam, quum eo adducor, quod eadem ratio inter rupiname sive rubiname et rupinie sive rubine intercedit, quae inter ake⁹uniamem sive acesoniame et acersoniem sive ake⁹unie, tum praecipue quod utique aut locus aut tempus, quo tres porcae immolandae sint, iis significatur. Quapropter Grotefendo, qui P. V. 26. et 29. rupinie sive rubine ablativos esse iudicat, non assentior.

*** Not. 19. Quamquam verborum: „tafle epir fertu“ medium explicare nescio, nisi quod rem ferendam intelligo eo notari, illa tamen primi interpretatio mihi videtur si non certa

Altera terminatio *ma*^q est sive abiecta ^q littera *ma*, quae syllaba item ad vocalem *a*, primae declinationis notam, affigebatur. Quod ut appareat, *asama*^q IV. 6. sive *asama* II. b, 39. IV. 16. profero et *spinama*^q II. b, 33. sive *spiniama* II. b, 37, i. e. in sacra spina (offerenda)*.

Tertia terminatio *fem* est, quae, quum non solum *m* finale, sed etiam antecedens *e* vocalis atque adeo prima littera *f* abiceretur, easdem, quas *mem*, passa est mutilationes. Integrae quidem terminationis non licet in hac declinatione exemplum afferre, sed remoto *m* legimus *fesnafe* II. a, 16., *ebetrafe* VI. a, 12., *presoliafe* VI. a, 12., *hebetrafe* VI. b, 53. neglectisque etiam *e* et *f* litteris pro *trahafe* *sahatame* sive *trafe* *satame* VII. a, 44. et 45. *traha* *sahatam* et in locis illis paribus I. b, 35. *tra* *sahta* et I. b, 38. *satame*** . Adde *traha* *sahata* VII. a, 5.***, VII. a, 39., *traf* *sahatam* VII. a, 39.†, *trahaf* *sahate* VII. a, 41. et loco huic pari I. b, 31. *tra* *sate*††.

esse, at verisimillima; Umbros enim *f* pro *b* Latinorum posuisse et terminationum *ulus*, *ula*, *ulum* *u* vocalem constanter extrivisse satis multis exemplis constat. Grotefendi autem interpretationi, qui P. VII. 12. hunc locum *lauro* (*δάφνη*) februatō vertit, id obstare videtur, quod nulla vox cognita est, in qua *l* Umbri pro *n* posuerint. Praeterea duo vocabula Grotefendus, *epir* et imperativum *fertu*, i. e. *ferto*, perversa quadam ratione in unum confudit et confusa coniectura non probabili convertit.

* Not. 20. Isid. Orig. II, 1, 36. „sacra spina est ima perpetuae spinae, quam Graeci *ἱερὸν ὄστρον* vocant, quoniam primum infante concepto nascitur, ideoque ex hostia id primum a Gentilibus diis suis dabatur, unde et spina sacra dicitur.“ Cf. Lanzi Sagg. Tom. II. p. 679.

** Not. 21. Locales illas esse formas non solum inde efficitur, quod earum casus necesse est idem sit, qui *rupiname* I. b, 35. et 36. sive *rubiname* VII. a, 43. et 44., quum aequae eas imperativo *kupifiatu* sive *combifiatu* et, qui pro imperativo est, coniunctivo *kupifiaia* imperativoque *kuvertu* sive *covertu* adiungi comparandis his quattuor locis cum quattuor illis probetur, sed etiam quod *satame* I. b, 38. quin localis sit, non potest dubitari. Cf. Grotef. P. V. 29.

*** Not. 22. Quum *traha* *sahata* VII. a, 5. eodem modo verbo *combifiansust* additum sit, quo *traha* *sahatam* VII. a, 44. et *tra* *sahta* I. b, 35. imperativo *combifiatu* et coniunctivo *kupifiaia*, casus eius localis habendus est.

† Not. 23. In verbis: „*traf* *sahatam* etu. Ape *traha* *sahata* covortus“ VII. a, 39. quum aequae ac VII. a, 44. et 45. *sahatam* legatur itemque I. b, 14. II. b, 33. III. 20. imperativus etu et III. 11. VI. b, 52. pluralis eius *etuta* sive *etuto* cum casu locali iunctus sit, *traf* *sahatam* et, id quod inde sequitur, *traha* *sahata* casus locales esse iudico.

†† Not. 24. Grotef. quidem P. IV. 31. et V. 29. *tra* *sate* I. b, 31. et *trahaf* *sahate* VII. a, 41. ablativos esse censet, sed, ut I. b, 27. *rupinie* et VII. a, 6. *rubine*, ita hic illis nominibus aut locus aut tempus, quo tres vitulae immolandae sint, significatur. Etiam quam rationem inter *acesoniame* et *ake⁹unie* itemque inter *rupiname* sive *rubiname* et *rupinie* sive *rubine* esse vidimus, ea inter *sahatam* sive *satame* et *sahate* sive *sate* intercedit.

§. 25. Nominativus pluralis in ar syllabam exitum habet, ut anclar VI. a, 16. et ivengar, i. e. iuvencae, VII. b, 2. Considerantibus autem nobis posteriore aetate pro s finali r Umbros posuisse antiquiorem patet huius casus terminationem as fuisse, qua syllaba in prisca lingua latina nominativus pluralis terminabatur, id quod probatur his Pomponii verbis in Praecone posteriore apud Nonium cap. IX. p. 500. ed. Mercer.: „Quot laetitias insperatas modo mihi inrepsere in sinum.“ Cf. Hartung. de casib. ling. graec. et lat. p. 252. Productam vero fuisse in utraque lingua huius inclinamenti vocalem non solum propter longitudinem similis terminationis es in tertia Latinorum declinatione statuendum est, sed etiam quia in sanscrita lingua femininorum, quae ad primam declinationem referuntur, nominativus pluralis, quum as syllaba cum principalis nominis formae a vocali confluat, in longam syllabam as cadit.

§. 26.

Genitivus pluralis in arum desinit, ut praeatarum VI. a, 13., sive abiecto m in aru, ut hapinaru I. a, 33., men[†]aru (i. e. mensarum) dersiaru II. b, 16., sestentasiaru urnasiaru III. 2—3., i. e. sextantiarum urnarum*.

§. 27.

Dativus pluralis superiore tempore in es exibat, quae terminatio posteriore aetate, qua s finale in r Umbri mutabant, in er vertebatur, ut Semenies tekuries II. a, 1., i. e. decem sacerdotum collegiis, quibus Semoniis decuriis nomen est. Pro hoc V. b, 11. et 16. Sehmenier dequrier dictum est**. Quo modo quum

* Not. 25. Ne quis de terminatione laborans dubitet, quin quam Latini urnam, eam Umbri urnasiam vocaverint, plenasier urnasier V. a, 2. 14—15., i. e. plenis urnis, memorandum mihi videtur. Similiter Sabini teste Servio ad Virg. Georg. I, 7. Liberum Loebasium appellabant. Nec differt nisi vocali positio nominis vestisier, cuius §. 19. 21. 23. 29. mentionem feci.

** Not. 26. Nominum Semenies tekuries casum, quem Grotefend. P. III. 8. et 9. recte dativum pluralis esse iudicaverat, idem mutata P. IV. 30. sententia sua P. VII. 9. falso dixit genitivum singularis. Dativum vero esse pluralis casum illorum nominum ex eo, quod singularum decuriarum nomina in dativo apponuntur, satis intelligitur. Nec minus falso Sehmenier dequrier Grotefend. P. III. 9. genitivos singularis putavit eamque sententiam P. IV. 30. recte improbatam P. VII. 7. male repetivit. Iccirco videlicet genitivi singularis esse non possunt, quod, si ad antecedentem nominativum frater Atiersiur referenda essent, non solum V. b, 8. et 14. ad dativum fratrus Atiersir hanc accessionem desiderares, sed etiam nihil eiusmodi neque ad Klaverniur V. b, 8. aut Klaverni V. b, 10., neque ad Kasilos V. b, 13. aut Kasilate V. b, 16. additum esse iure mirareris.

dativi pluralis terminatio cum genitivi singularis congruat, alter ab altero vix potest discerni. Cf. Grotef. P. III. 9. et IV. 30.

§. 28.

Accusativus pluralis as vel, s extremo in r mutato, ar syllaba terminatur, ut „struh^dlas fiklas sufafias kumaltu“ II. b, 41.* „struh^dlas eskamitu aveitu“ (quod pro a⁴veitu positum est) IV. 1., sehmeniar I. b. 42. sive sehemeniar VII. a, 52.**

Annotat. 5. Quod Grotefend. ait P. IV. 30. accusativum pluralis ablativo permutari idque ut exemplo confirmet, adiectiva pernaies et pusnaes I. a, 2. accusativo aves apposita, quum I. b, 10—11. avef pernaiaf pustnaiaf legatur, ad primam declinationem referenda esse: ego vero formas illas heteroclitici esse adiectivi sentio.

§. 29.

Ablativi pluralis antiqua terminatio es erat, id quod supes IV. 8. („supes sanes pertentu.“ cf. ablat. singul. II. b, 30. „supa spantea pertentu.“) et klavles II. b, 36. IV. 11. probatur. Posteriore autem aetate, qua pro s extremo r Umbri ponebunt, in er ablativus desinebat, ut plenasier urnasier V. a, 2. 14—15. et vestisier rufre (i. e. rubris) VI. a, 14.***

§. 30.

Instrumentalis pluralis in af syllabam exit, cuius quidem f saepe abiicitur, ut anglaf VI. a, 5., pro quo VI. a, 3. et VI. a, 18., qui loci illi omnino pa-

* Not. 27. Struh^dlas fiklas sufafias II. b, 41. quum Grotefendus P. IV. 30. recte dixerit pluralis esse accusativum, idem P. VII. 25. perperam scripta esse falso opinatus est. Utrouque enim loco pluralis accusativus struh^dlas positus est similiter ac singularis accusativum II. b, 18. struh^dla fikla imperativo fertu et IV. 4. struh^dla petenata, III. 34. stru^dla, II. b, 28—29. struh^dla fikla, VI. a, 59. VI. b, 23. VII. a, S. VII. a, 54. stru^sla fiela, VI. b, 4—5. fiela stru^sla, VII. a, 42. stru^sla fiela imperativo a⁴veitu sive arveitu sive arveitu iunctum legimus.

** Not. 28. Sehmeniar sive sehemeniar Grotef. P. III. 22. genitivum singularis, sed P. V. 11. dativum pluralis esse indicat, quae utraque sententia falsa esse videtur propterea, quod in ar syllabam neque genitivus singularis, id quod §. 19. explicavi, in prima tabula exit, neque dativum pluralis desinere potest probari. Accusativum vero esse pluralis ex eo conicio, quod hatutu sive hatuto imperativus accusativum requirit (cf. I. b, 11. VI. b, 49.), furu autem sive furo accusativus praepositioni hutra sive hondra adiunctus est.

*** Not. 29. Plenasier urnasier Grotef. P. III. 2. et VII. 1. ex eo, quod antecedens eitipes pro eitiper scriptum idque substantivum particula per auctum esse putaverat, genitivum singularis esse coniecit; sed illud non adducor ut credam, in quinta tabula, quippe quae posteriore demum aetate exarata sit, pro per antiquam formam pes positam esse. Nec

res sunt, itemque VI. b, 49. angla sive ankla legitur;* vitlaf I. b, 31., i. e. vitulabus, pro quo VII. a, 41., qui locus illi respondet, vitla positum est; hapinaf I. a, 24., pro quo VI. b, 22., ubi verba eadem sunt, quae illic, et item I. a, 27. VI. b, 23. et 24. habina** scriptum est; perkaf I. b, 15., pro quo VI. b, 51., loco illi congruenti, perca invenitur; supaf sive supa II. b, 22. in verbis: „katles supa hahtu, sufafiaf supaf hahtu.“ Adde klavlaf anfehtaf II. b, 33., eða-riaf IV. 27. et abiecta f littera „tre purka rufra ute peia“ I. b, 27. sive „porca trif rofa ote peia“ VII. a, 6., i. e. tribus porcabus rubris aut fuscis (φαῖς) et iveka I. b, 42. 40. sive ivenga VII. a, 51.,*** i. e. iuvenabus.

Caput III. De secunda declinatione.

§. 31.

Masculinorum nominum nominativus singularis ur syllaba terminatur, ut „frater Atiieqiuur“ V. a, 1. 14. sive „frater Atiersiur“ V. b, 11. 16. et Claverniur V. b, 8.

Quae nomina in latina lingua in ulus cadunt, eorum Umbri quae paenultima est, u vocali e mutata propriam nominativi terminationem abiecerunt, ut katel II. b, 43. catulus est. Neque enim magis ea de causa ad tertiam illa declinationem quod revocanda sunt quam Latinorum nomen pueri iccirco, quod Laconum est πῶρ, i. e. παῖς, eius rei argumentum est illius vocis accusativus. Eodem pertinet tidel II. b, 15., quod nomen dedicationem significare videtur. Ceterum neque ab Oscis

magis vestisier rufre Grotefend. P. V. 3. et VI. p. 6. mihi probat singularis esse genitivum, quum vestisiar genitivus in sexta tabula legatur. vid. §. 19.

* Not. 30. Angla VI. b, 49., quem Grotefend. P. VI. 23. singularis ablativum habuit, videtur, quum ad antecedens avif referendum sit, pluralis esse.

** Not. 31. Habina I. a, 27. et, qui locus illi respondet, VI. b, 23. et 24. pro habinaf positum esse non solam ex his locis cum I. a, 33. „api suq uf purtitiur“ comparatis, sed etiam ex eo intelligitur, quod hoc substantivum ad hapinaf, quod I. a, 24., sive ad habina, quod VI. b, 22. antecedit, refertur.

*** Not. 32. Iveka I. b, 42. instrumentalem pluralis esse ex antecedente eaf et sequente tre satis apparet, nam haec ibi sunt verba: „eaf iveka tre akequnie fetu Tuse Iuvie,“ i. e. iis iuvenabus tribus in ara facito Tursae Ioviae. I. b, 40. autem iveka et VII. a, 51., qui locus cum illo congruit, ivenga instrumentalis habendus est non solum, quod quae I. b, 42—43. leguntur, „eaf iveka tre“ et in loco pari VII. a, 52. eaf, ad id referuntur, sed etiam quod ut iveka cum tuseiu, ita ivenga cum tursitutu iunctum est, quod verbum cum instrumentali copulari I. b, 41 „tuf tusetutu“ probatur.

aliena erat haec nominativi mutilandi consuetudo neque ab Romanis, nam apud Paul. Diac. p. 65. ed. Lindem. haec legimus: „Famuli origo ab Osciis dependet, apud quos servus famel nominabatur, unde et familia vocata“ et qui ab Osciis famel, is famul ab Ennio Annal. lib. IX. apud Non. ed. Mercer. p. 110. et Lucret. 3, 1048. dicitur. Nec dissimilis ratio est latinorum nominum secundae declinationis in er, ir, ur desinentium, quippe quae propriae nominativi terminationis us iacturam fecerint, id quod aliorum duplici forma (socer et socerus, puer et vocativ. puere), aliorum feminino (puera, socera Orell. Inser. 289., satura, vira), aliorum sanscritica (vir wīras, socer swāsūras) et graeca (ager ἀγρός, socer ἐνυρός) forma evincitur. Cf. Struv. de lat. decl. et coniug. p. 11. et 12. Schneider. Gramm. Vol. II. p. 56. et 57.

Neutorum nominum singularis nominativus finiebatur om litteris, quae umbrice um scribebantur. Frequenter vero huius syllabae m abiiciebatur, ut esunu I. b, 8., pro quo VI. b, 47., qui locus cum illo congruit, esono legitur. Cf. esunu I. b, 38. II. b, 21. 42. III. I. 14. Adde nominativos horum participiorum: „screhto est“ VII. b, 3., i. e. scriptum est; „ortom est“ VI. a, 46. sive abiecto m „orto est“ VI. a, 26. 36. VI. b, 29.; „vasetom“ sive „vasetom est, pesetom est, peretom est, frosetom est, daetom est.“ VI. a, 37. 47. VI. b, 20. Eadem verba VI. a, 27. leguntur, sed abiecto m „vaseto est.“

§. 32.

Genitivus singularis antiquiore tempore es syllaba finiebatur, pro qua, quam frequentabant Umbri vocalium e et i commutationem, etiam is ponebatur. Posteriore vero aetate, qua s finale in r mutari solebat, in er illa vertebatur. Utriusque autem positionis consonans extrema haud raro abiiciebatur, ut pro integris genitivis **d**erfes Marties I. b, 28. et 31. derfe Marties, i. e. Serfi Martii, et VII. a, 6. et 41., qui loci illis pares sunt, Serfer Martier inveniamus. Eadem formae VI. b, 57—58. 58. VII. a, 9. 10. 11. 13. 15. 18. 19. 20. 21. 22. 24. 25. 27. 29. 29—30. 32. 33. 34. 35. 36. et Serfer Martier scriptae VI. b, 61. VII. a, 16. 23. leguntur. Deinde kapres II. a, 12., i. e. capri, qui genitivus cum prusedetu, i. e. prosecto sive prosiciis, copulatus est; katles, i. e. catuli, cui genitivo II. b, 22. supa et II. b, 27. tuva tefra, i. e. duo exta, adiuncta sunt, sive katle, ad quem genitivum mutilatum II. b, 15. tidel additum est; vaputis II. a, 13., qui genitivus accusativum persutru sequitur. Tum popler, i. e. populi, VI. a, 19. VII. a, 16. 27. 30.; agre Tlatie Piquier Martier V. b, 9. pro agrer Tlatier P. M. et agre Kasiler Piquier Martier V. b, 14. pro agrer K. P. M.

Maxime autem notabilis est genitivus arves, qui a⁴epes I. a, 6. 10. 13. 19. 23. I. b, 4. sive a⁴eper I. b, 30. et 33. sive a⁴epe I. b, 26. 44. II. b, 7. sequitur, i. e. ablativum a⁴e, cui particula pes sive per sive pe affixa est; nam terminatio es et antecedens vocalis i hic in unam syllabam coactae sunt, id quod accusativo singulari arviu sive arvio et accusativo plurali arvia probatur. Cf. similia contractionis exempla § 33. et 40. Inde vero, quod i vocalis inclinamento es antecedit, quum non confusis illis syllabis genitivus arvies sit, et quod mutuo vocales e et i ab Umbris commutantur, satis intelligitur, cur pro arves etiam arvis legatur, qui genitivus item verbis a⁴ipes I. b, 7. sive a⁴iper I. a, 27. adiunctus est.

§. 33.

Dativi singularis propria quidem terminatio in umbrica lingua aequae atque in graeca et latina fuit o vocalis, pro qua Umbri, quum ea carerent, u scribebant, ut prusedetu, II. a, 12., i. e. prosecto sive prosiciis.* Adde dativos adiectivorum ahtu, i. e. alto, II. b, 10. et II. b, 11.*, et va-

* Not. 33. Hanc formam dativi esse imperativo a⁴veitu adiuncti apparet collato II. a, 12. cum II. b, 12. VI. a, 56. 59. VI. b, 2. 4. 20. 23. 44. 46. VII. a, 4. 8. 42. 54., quibus locis cum a⁴veitu sive arsveitu imperativo dativus pluralis prusedete(s), sive proseter sive prosetetir sive prosetetir copulatus est. Quod vero eundem casum prusektu esse, quod II. b, 28. legitur, Grotefend. P. II. 35. et VII. 22. arbitratur, id, ut probari videtur subsequentibus verbis struh⁴la fikla a⁴veitu, quippe quae VI. a, 59. VI. b, 4. 23. VII. a, 8. 42. dativum pluralis prosetetir excipiant et VII. a, 54. concludant, ita plane eo redarguitur, quod in eadem secunda tabula illius vocis dativus singularis prusedetu (II. a, 12.) est et dativus pluralis prusedete(s) (II. b, 12.). Accedit quod qui prusektu antecedit, accusativus krematru verbum, ex quo pendeat, requirit. Itaque prusektu non potest non imperativus esse, cuius antepaenultima littera a sit extrita, nec dubium est, quin, ut II. b, 28. III. 33. 35. IV. 2., ita illic cum Lepcio prusekatu scribendum sit.

** Not. 34. Ahtu quamquam cum subahtu II. b, 42. comparatum a forma videtur verbi simplicis imperativus esse, tamen diligenter examinato utroque, quem supra attuli, loco adiectivum esse apparet aut participium ad dativos Iuvi et Marti referendum. Vertit autem Grotefend. P. III. 8. et VII. 10. hoc epitheton ovato vel inclito, quae utraque interpretatio in coniectura incertissima nititur. Mihi quidem ahtu, quum in fine syllabarum, quae in latina lingua in consonantem desinunt, pro ea h Umbri ponere soleant, alto reddendum esse videtur, quod adiectivum nonnunquam diis deabusque tributum invenimus, ut Virgil. Aen. 10, 875. „altus Apollo“ ibid. 12, 140. „rex aetheris altus Iuppiter.“ Ovid. Metam. 3, 284. „alta Iunone.“ Quaeritur sane, quomodo concilietur haec interpretatio ablativo pluralis ahtis, quem III. 24. et 29. in his verbis legimus: „fratru sper Atie⁴ies, ahtis per eikvasatis, tutaper Iiuvina, trefper Iiuvina.“ Hic enim, quum adiectivis Atie⁴ies et Iiuvina substantiva fratru, tuta et trefi antecedant, ut etiam ahtis substantivum sit, concinnitas orationis postulare videtur. Neque tamen ea de causa necesse est substantivum habeatur, quum concinnitatem illam interdum in tabularum iguvinarum formulis neglectam videamus, ut I. b, 16—17. in verbis: „tuta Ta⁴inate, trifu Ta⁴inate, Turskum Naharkum numem, Iapu⁺kum numem“ substantivum numem non solum duobus adiectivis postpositum est, sed etiam post tertium repetitum. Cf. VI. b, 53—54. et 58—59. Neque obstat particula per,

putu II. a, 10. et 17.* Vulgo vero pro ea e vocali utebantur, quare pro Trebo Iovie (VI. a, 58.)**, i. e. Trebo Iovio, I. a, 8., qui locus illi par est, Trebe Iuvie legimus et pro Fiso Sansie (VI. b, 3.), i. e. Fidio Sancio sive Sanco, I. a, 15. Fise Sadi. Cf. Hunte Iuvie II. b, 20. et 34.*** Quod autem pro hoc e non solum, quae usitata est vocalium e et i permutatio, i, sed etiam ei scriptum est, ut

quam quidem Lepsius Inscr. Umbr. et Osc. p. 7. nisi substantivis affigi sine ulla dubitatione negavit. Praetermisit videlicet vir doctissimus II. a, 26. „Vudiiaper natine fratri Atiie⁹iu“ et II. b, 21. et 35. „Petruniaper natine fratri Atiie⁹iu.“ Accedit quod vix aut omnino non potest negari triiuper sive trioper adverbium numerale esse illius particulae ope formatum. Iam Lanzi. Sagg. Tom. II. p. 735. illud recte ter vertit et bene cum antiooper contulit, quod in Philoxeni Gloss. Latino-Graec. ed. Labb. p. 14. *πρὸ τούτου* exprimitur. Sed id alias, nunc quod instat. Sit licet, quod sane verisimilius est, *eikvasatis* adiectivum et *ahtis* substantivi vim habeat, id certe videor posse contendere, eidem voci, cuius dativus singularis *ahtu* est, ablativum pluralis *ahtis* ascribendum esse. Neque repugnat interpretationi meae *ahtimem* I. b, 12., cuius casum apertum est localem esse, id quod etiam Grotefend., qui quidem P. II. 31. ablativum singularis eum esse dixerat, P. V. 15. 19. 28. recte observavit. Neque enim cum Grotefendo P. II. 31. III. S. V. p. 7. et 13. adversus vim casus localis cum ovatione reddi potest, sed potius ex casus eius notione in altari. Ad quam vero *ahtimem* declinationem referendum sit, ad tertiam an, ut Grotef. P. V. 28. voluit, ad quartam, in medio relinquo.

* Not. 35. Vaputu quum neque imperativus esse possit, quippe cui vaputis II. a, 13. contrarium sit, neque accusativus, cuius m sit abiectum, ut qui quamquam cum II. a, 17., tamen non cum II. a, 10. congruat, non possum non cum Grotefendo P. III. S. 14. 15. VII. 10. 11. dativum epitheti ad Sadi, i. e. Sancio, pertinentis habere.

** Not. 36. Nomen, cuius dativum Trebo Iovie sive Trebe Iuvie attuli, deae esse eamque Romanorum Triviam Grotefend. P. III. 20. et 25. V. 26. et 27. iudicavit, quod si esset rectum, non secundae, sed primae declinationi hoc nomen adscribendum foret. Sed tria illi sententiae obstant. Nam primum inde, quod pecudes, quas huic deo Umbri sacrificabant, feminae erant, quo quidem nescio an Grotefendus ad illam opinionem adductus sit, certa de genere eius coniectura fieri nequit. Deinde facile est intelligere in tabulis prima, sexta et septima, in quibus sacrificia duodecim diis deabusque facienda praecipiuntur, certum ordinem servari, ita ut primum novem dii, deinde tres deae memorentur, qui ordo turbatus foret, si Trebus Iovius dea esset. Tum vero non modo nullum exemplum exstat, quo primae declinationis dativum in o exire probeatur, sed ne credibile quidem illud per se videtur.

*** Not. 37. Hunte derfi quidem sive Honde Serfi recte Grotefendus P. V. 26. dei nominis dativum esse iudicavit, etsi inepte eum P. III. 15. Bonum Eventum et P. III. 28. Silvium Bonum dixit, sed Hunte Iuvie dativum deae nominis esse P. III. 14. et 15. ideo putavit, quod ei aequae atque Hecatae, Robigini et Genitae Manae catulus sacrificaretur. At vero ex eo, quod Romani his deabus catulum mactabant, non efficitur etiam Umbros deae catulum immolasse. Potius verisimile est, si dei nomini Hunte derfi dativus tribuendus sit, etiam Hunte Iuvie dativum ad dei nomen referendum esse, quapropter non ad primam eum declinationem, quod quidem terminatio permittit, sed ad secundam revocare non dubitavi. Ceterum ultra coniecturam Grotefendus ita progreditur, ut hunc deum Umbrorum Matrem Matutam interpretetur, quod iam iceirco reiciendum videtur, quod haec dea non, ut ille vult, eadem quae Genita Mana existimanda est, quam rem demonstrare quum non necessarium est, tum alienum ab hoc loco.

pro Tefre Iuvie*, quod I. a, 24. legitur, I. a, 28. Tefri Iuvi et VI. b, 22. Tefrei Iovi invenitur, inde longa ut illa vocalis sit sequitur, quare non imminutione quadam aut attenuatione ex o nata esse potest.

Annotat. 6. Mirum sane videri potest, quod o terminatio non in prima eaque antiquissima tabula invenitur, nec tamen ex eo cum Grotefendo P. V. 27. colligere licet, proprium dativi exitum e vocalem fuisse. Primum enim per se non probabile est hanc vocalem in o transisse. Deinde ea de causa terminatio o antiquior habenda est, quod eadem est, quae graeca et latina. Tum vero etiam in posterioris aetatis tabulis, in sexta et septima, frequentius in e quam in o dativus desinit. Quod ut appareat, pople propono, i. e. populo, VI. b, 61. VII. a, 14. 17. 27. 31. 50., Serfe Martie VII. a, 3. et Honde Serfi VI. b, 45., pro quibus I. b, 24. derfe Marti legitur et I. b, 4. Hunte derfi (cuius nominis r in archetypo extritum est).

Nominum, quae proprie adiectiva sunt, in dativo, praecipue cognominum deorum, ut Trebo Iovie VI. a, 58. sive Trebe Iuvie I. a, 8. et Hunte Iuvie II. a, 20. et 34. ie in unam syllabam e vel i cogere solebant, quae quum producta esset, etiam ei scribebatur. Cf. Grotefend. P. V. 27. Quapropter pro Marte Hu^qie, quod I. b, 2. legitur, VI. b, 43., qui locus illi respondet, Marte Horse invenimus; pro Fiso Sansie, quod VI. b, 3. scriptum est, I. a, 15., loco illi pari, Fise Sadi, itemque pro Fisovi Sansii**, quod VII. a, 37. legitur, VI. b, 5. Fisovi Sansi, et nomine priori omisso Sade II. b, 4. sive Sadi*** II. a, 10. et 17.; pro Vofione Grabovie, quod

* Not. 38. Nomen, cuius dativus Tefre Iuvie est, Grotefendus P. III. 24. IV. 5. 7. V. 10. II. 26. 27. ad deam retulit. Feminea sane animalia ei mactabantur; ex eo autem diiudicari non posse, utrum deus an dea esset, iam supra Not. 36. memoravi. Solvenda potius videtur haec quaestio illius nominis vocativo. Is vero non est Tefra Iovia, quae eius forma foret, si dea significaretur, id quod vocativis Tursa Iovia, Tursa Serfia et Prestota Serfia probatur, sed Tefre Iovie VI. b, 27. 28. 29. 31., ubi ter, 33., ubi bis legitur, 35. 36. Hoc argumentum, quod repugnare sententiae suae Grotefendus ipse P. III. 23. sensit, gravius est, quam quod infirmari possit. Hinc autem quum pateat deum, qui Tefre Iovie invocatur, non Palem esse, quippe quae plerorumque scriptorum iudicio dea sit, ea, quae Grotefendus ad sententiam suam confirmandam attulit, refellere supersedeo.

** Not. 39. Quum pro e finali etiam in secundae declinationis dativo i scribatur, Fisovi Sansii VII. a, 37. idem valet, quod Fiso Sansie VI. b, 3. Itaque non est, quod VII. a, 37. cum Lepsius Inscr. Umbric. et Osc. p. 181. Fisovi Sansi legatur.

*** Not. 40. Quum in inscriptionibus Romanis et Veronensibus Sancus et Sancius legantur, credas sane Sade sive Sadi dativum non ad hanc formam, sed ad illam revocandum esse; quod si ita esset, etiam dativis Hu^qie et Horse duplex nominativus statuendus foret. Hoc vero quum parum probabile videatur, etiam Sade sive Sadi vocalium contractione ex Sadie ortum esse verisimile est.

VI. b, 19. reperitur, I. a, 20—21., loco illi simili, Vufiune Krapuvi, itemque Iuve Krapuvi I. a, 3. sive Iuve Grabovei VI. a, 22. et Marte Krapuvi I. a, 11. sive Marte Grabovei VI. b, 10.; pro Serfe Martie, quod est VII. a, 3., I. b, 24., qui locus cum illo congruit, Serfe Marti; pro Tefre Iuvie, quod I. a, 24. positum est, VI. b, 22., loco illi simili, Tefrei Iovi et I. a, 28. Tefri Iuvi; eodemque modo Hunte Serfi I. b, 4. sive Honde Serfi VI. b, 45. ex Hunte Serfie sive Honde Serfie ortum est. Huc etiam Fisuvi* I. a, 17. pertinere sive Fisovi Sansi VI. b, 5., qui locus illi respondet, et Fisovi Sansii VII. a, 37. vocativo huius nominis probatur, quod proprie adiectivum ideoque cum Grabovio conferendum recte coniecit Grotefend. P. V. 27. Nec praetermittendum est Claverni V. b, 10. ex Clavernie ortum.

§. 34.

Accusativus singularis nominum et masculinorum et neutrorum om syllaba finiebatur, quae, quum umbrica litteratura o vocali careret, umbrice um scribebatur. Haud raro autem, ut erat consuetudo Umbrorum, m litteram abiiciebant. Masculinorum nominum exempla haec sunt: puplum I. b, 10. sive poplom VII. a, 15. et VII. b, 3. vel abiecta m littera puplu I. b, 40. sive poplo VI. b, 48. VII. a, 29. et 46.**, i. e. populum; kaprum II. a, 1., pro quo II. a, 10. kapru et II. a, 17. kabru*** legitur, i. e. caprum; katlu II. b, 18. 20. et 29., i. e. catulum†;

* Not. 41. In Fiiuvi, quod I. a, 17. archetypum pro Fisuvi exhibet, duplex i pro simplici exaratum et s negligentia scribentis excidisse VI. b, 5., qui locus illi respondet, evincitur; quare quae de hoc loco Lassen. p. 28. et Grotefend. P. II. 9. protulerunt, falsa existimanda sunt.

** Not. 42. Poplom VII. a, 15. et poplo VII. a, 29. accusativum esse verbis utroque loco additis salvom seritu, i. e. salvum servato, planum sit. Eundem casum puplu esse I. b, 40. et poplo VII. a, 46., quibus locis ateq̃afust sive andirsafust, et poplo VI. b, 48., ubi heries adiectum legimus, ex eo apparet, quod VII. b, 3., ubi idem andersafust sequitur, poplom scriptum est, et I. b, 10., ubi idem heries invenitur, puplum. Grotefendus quidem, quamquam P. II. 29. poplom VII. b, 3. et puplu I. b, 40. sive poplo VII. a, 46. recte viderat accusativum esse, tamen P. V. 5. collatis puplum I. b, 10. et poplo VI. b, 48. localem esse casum iudicavit. At vero, etiamsi his locis agnoscendus esset casus localis, quod nullo modo concedi potest, inde tamen nihil de illis efficeretur.

*** Not. 43. Kapru II. a, 10. eundem casum esse, quem kaprum II. a, 1., addito utroque loco upetu imperativo intelligitur. Nec dubium est, quin kabru II. a, 17. accusativus sit, quum, cui adiunctum est nomen illud, verbum purtuvetu in eadem secunda tabula cum accusativo copuletur; II. b, 24. enim legimus: „arvia puni purtuvitu.“

† Not. 44. Katlu accusativum esse ex eo apparet, quod II. b, 18. cum fertu imperativo, i. e. ferto, II. b, 20. cum ampentu imperativo et II. b, 29. cum purtuvitu imperativo, de quo Not. 43. dixi, coniunctum est.

vitlu II. a, 21., i. e. vitulum*; peico (i. e. picum) mersto VI. a, 3. 4. 16. 17.**; tidlu III. 25. et 27.*** Etiam arsmahamo caterahamo VI. b, 56.† huc referenda videntur.

Neutorum vero haec habeo exempla: arviu I. a, 12. 16. 23. I. b, 25. 28. 32. 43. II. a, 8. 29. II. b, 6. 11. 12. sive arvio VI. a, 56. 58. VI. b, 1. 3. 20. 22. 44. 45. VII. a, 4. 7. 42. 53.††;

* Not. 45. Vitlu II. a, 21. accusativus habendus est propterea, quod erust tetu (i. e. dicito) sequitur, quae verba VI. b, 39. itemque, ut videtur, VI. b, 16. et 38. cum accusativo iuncta sunt. Ad significationem vero huius nominis quod attinet, quum ut triiuper (ter) vufu naratu (dicito), quae verba II. a, 25. leguntur, ad antecedens vufu, ita purtifele triiuper (ter) teitu (dicito), quae ibidem invenis, ad antecedens vitlu referenda sint, id apertum est idem verbis vitlu et purtifele significari. Quam rem ita se habere iam Lanzius vidit Sagg. di Ling. Etrusc. tom. II. p. 735. Idem intellexit non unum esse purtifele, sed duo verba coniunctim scripta, quae negligentia non ita raro in tabulis Iguvinis invenitur. Nam purti Graecorum est *πόρτιν* sive, ut Lanzius neglecta nominis forma arbitratur, *πόρτινα*, et fele idem est adiectivum, cuius casum instrumentalem feliuf I. a, 14. sive filiu VI. b, 3. legimus. Quod quum a fellando, i. e. exsugendo (vid. Nonium p. 113. et 242. ed. Mercer.), ductum sit, purti fele vitulum lactentem significat. Sancio ergo, cui I. a, 14. et VI. b, 3. sues lactentes, hoc loco vitulus lactens ut immoletur praecipitur. Ne vero eo offendaris, quod Umbri eodem vocabulo, quo Graeci, usi sint, satis est memorare, *sif kumiaf* I. a, 7. sive *sigomia* VI. a, 58. sues *συμάδας* sive scrofas significari.

** Not. 46. Peico mersto VI. a, 16. 17. 3. accusativos, quorum m abiectum sit, ideo habeo, quod imperativi seritu, i. e. servato, et carsitu et, quae pro imperativo est, secunda persona singularis praesentis coniunctivi, aseriaia iis adiuncta sunt. Posteriores vero duo loci quum ad verbum cum VI. a, 4. congruant, etiam hic peico mersto videntur accusativi esse, qui quidem utrum ex anstiplatu imperativo an ex alio verbo pendeant, incertum est.

*** Not. 47. Tidlu III. 25. et 27. ut ex additis imperativis teitu, i. e. dicito, et, quo idem significatur, naratu accusativum, ita masculini generis esse ex nominativo tidel intelligitur.

† Not. 48. Arsmahamo caterahamo VI. b, 56. quum deitu, i. e. dicito, imperativum sequantur, accusativos esse apparet, ad masculina vero secundae declinationis iccirco retuli, quod utriusque vocabuli terminatio videtur eadem esse, quae Graecorum *μός*. Quam ob causam a Grotefendo, qui P. V. 29. caterahamo ad quartae declinationis accusativos revocavit, dissentio.

†† Not. 49. Ut arviu omnibus locis ex subsequente ustentu sive ustetu imperativo pendet, ita arvio ex fetu sive feitu imperativo non solum VI. b, 1. 3. 20. VII. a, 4. 7. 42. 53., qui loci primae tabulae locis, quos supra attuli, respondent, sed etiam VI. a, 56. 58. VI. b, 22. 44. 45., qui loci cum I. a, 3. 9. 26. I. b, 3. 6. congruunt, ubi arvia ustentu legitur. Iam Grotefendus P. II. 22. III. 18. IV. 21. V. praef. p. 4. et §. 26. 27. 28. non modo arvia, sed etiam arviu et arvio ablativum singularem esse dixit nominis feminini, quod primae esset declinationis. Hanc sententiam ut sequar, nullo pacto fieri potest. Nam arvia et arviu, quum imperativus, cui formae illae adiunctae sunt, ustentu, i. e. ostendito, porricito, propter notionem suam utique accusativum requirat, non ablativi, sed accusativi habendi sunt; ex quo efficitur, ut arviu umbrice scripti littera extrema vim o vocalis habeat, id quod verbis eo iso ostendu, quae VI. a, 20. leguntur, ita probatur, ut nihil possit supra. Arvio autem, quamquam fetu sive feitu imperativus, ex quo illud pendet, i. e. facito, ut Latinorum verbum faciendi, cum utroque casu, accu-

abrunu II. b, 11.*; krenkatrum I. b, 11. sive cringatro VI. b, 49., qui locus illi respondet, et abiecta m littera krikatru II. a, 27. et 29.*; krematru II. b, 28.**; esunu I. b, 9. et IV. 30. sive esono VI. a, 57. et VI. b, 47., ehvelklu V. a, 23. et V. b, 1., eredlu IV. 13.†; fe^qehtru III. 16. et 18., farsio VI. b, 2. sive fasio VI. b, 44. sive fasiu II. b, 12., i. e. ferctum, fa^du II. a, 22.††; iuku II. a, 23., muneklu V. a, 17. 19. 21., naraklum II. b, 1.; persklum I. a, 1. sive persklu III. 12., sive persclo VI. a, 1.††††; pustru I. b, 34. et 36. sive

sativo et ablativo, iungitur, tamen ablativum habere terminatione prohibemur. Declinationem vero, ad quam hoc nomen referendum sit, non primam esse, sed secundam ex arviu sive arvio forma satis apparet. Iam non est, cur mireris in sexta et septima tabula tantum singularem accusativum arvio, in prima autem et secunda et singularem arviu et pluralem arvia inveniri; ea enim varietas etiam in aliis formulis reperitur. Cf. infra Not. 62. et 64. et C. O. Mueller. in Act. hominum doctorum Gottingens. 1838. Partic. 7, p. 62.

* Not. 50. Abrunu, quod fetu imperativo adiunctum est, collato II. b, 10. accusativum esse patet, cuius m abiectum sit. Ceterum non debebat id Lepsius in abrum mutare; abrunu enim, quod in archetypo legitur, plane Latinorum est aprugnum sive aprunum et similiter atque ablativus pluralis abrons VII. a, 43. substantivi vim habet. Et hoc quidem Grotefendus recte vidit, nisi quod in casu explicando fluctuans abrunu P. III. 18. et VII. 14. ablativum, at P. VII. 17. accusativum dixit.

** Not. 51. Krenkatrum itemque cringatro ex hatu imperativo, et krikatru utroque loco ex habetu imperativo pendet.

*** Not. 52. Krematru prusekatu imperativus sequitur, ita enim cum Lepsio pro prusektu, quod archetypum exhibet, legendum esse ceteris locis, quibus imperativus ille legitur, II. b, 28. III. 33. 35. IV. 2., comparatis intelligitur. Accedit, quod participium, quum eius dativus singularis prusedetu (II. a, 12.) et dativus pluralis prusedete(s) (II. b, 12.) sit, prusektu esse nequit.

† Not. 53. Ut esunu I. b, 9. sive esono VI. b, 47., ubi verba eadem, quae illic, leguntur, quia ex fetu imperativo, ita esunu IV. 30., quia ex u^qetu imperativo pendet, accusativus habendus est. Idem casus videtur VI. a, 57. esono esse, quod quidem Grotefendus P. V. 26. iusto audacius pro esonome dictum putat, sive ille ex sequente fetu imperativo aptus est, sive graeco more, ut persklum I. a, 1. sive persclo VI. a, 1., positus. De ehvelklu vid. §. 44. Cum eredlu autem accusativo umtu imperativus iunctus est.

†† Not. 54. Fe^qehtru, quum antentu III. 16. et astintu III. 18. imperativis, et farsio VI. b, 2. sive fasio VI. b, 44. sive fasiu II. b, 12., quum arsveitu sive av^qeu imperativo adiunctum sit, accusativos esse apparet. Idem casus est fa^du II. a, 22., sive ex sestu imperativo pendet, sive ex heries.

††† Not. 55. Iuku ex habetu imperativo, muneklu ex habia praesentis coniunctivo, naraklum ex vurtus perfecto aptum est.

†††† Not. 56. Grotefendo, qui P. IV. 21. et V. 26. persklum I. a, 1. et persclo VI. a, 1., qui locus illi respondet, casum localem esse arbitratur, ea de causa non assentior, quod quum verisimilius est nulla littera persklum privatum esse, tum nihil est, quo graeco more illic positum accusativum putare prohibeamur. Cf. not. 53. Persklu autem III. 12. accusativus videtur esse pir accusativo obiectivo attributus.

postro VII. a, 43. 44. VI. b, 5. VII. a, 8.*; pesuntrum I. a, 30., pro quo abiecta m littera I. a, 27. pesuntru, VI. b, 24. 37. 39. 40. pesondro, II. a, 13. persutru, II. b, 8. pesutru scriptum est**; pelsanu II. b, 6. et III. 32.***; proseto VI. a, 56., i. e. prosectum sive prosicias†; sufe^qaklu III. 17. et 19., sealseto VI. b, 16.††; sopo VI. b, 5. sive supo VII. a, 8.†††; vinu II. a, 14. et II. b, 18., i. e. vinum; vesklu I. b, 29. 37. II. b, 34.††††;

* Not. 57. Pustru sive postro accusativum I. b, 34. et VII. a, 43. ex kupifiatu sive combifiatu imperativo, I. b, 36. et VII. a, 44. ex kuvertu sive covertu imperativo, VI. b, 5. et VII. a, 8. ex peperscust sive pepercus perfecto aptum esse manifestum est.

** Not. 58. Pesuntrum I. a, 30., pesuntru I. a, 27., pesondro VI. b, 37. et 24., qui loci illis respondent, pesutru II. b, 8. ex feitu sive fetu imperativo, itemque persutru II. a, 13. ex fertu imperativo aptum esse apparet. VI. b, 39. autem et 40. pesondro ex quo verbo pendeat, in medio relinquo.

*** Not. 59. Quod Grotefendus P. V. 27. et 28. putat non solum pelsana I. a, 26. et VI. b, 22., sed etiam pelsanu II. b, 6. et III. 32. primae declinationis ablativum singularem esse: mihi vero longe secus videtur. Primae enim declinationis nominibus pelsanu adscribi terminatio non concedit. Itaque ut pelsana pluralis, ita pelsanu singularis est accusativus, qui utroque loco, II. b, 6. et III. 32., ex fetu sive feitu imperativo, qui non minus cum accusativo quam cum ablativo iungitur, pendet et hic quidem uvem pe^qaem accusativo obiectivo attributus est.

† Not. 60. Proseto VI. a, 56. ex antecedente purdovitu imperativo pendet, VI. b, 16. autem et 38., quum erus ditu sive dirstu, i. e. dicito, et accusativus (II. a, 21. et VI. b, 39.) et genitivus (I. a, 33. et VII. a, 38.) sequatur, uter proseto habendus sit, nihil decerno.

†† Not. 61. Sufe^qaklu accusativus III. 17. antentu imperativo et III. 19. anstintu imperativo adiunctus est. Sealseto autem VI. b, 16. neutrius nominis singularem accusativum esse, qui ex conegos participio pendeat, inde intelligitur, quod IV. 15. 18. 20. pluralem accusativum skal^deta ex eodem participio kunika^l aptum invenimus. Idem casus, quum eodem participio conegos iunctum sit, videtur scalsie esse VI. b, 5. VII. a, 37., quod quidem ad quam declinationem referam, nescio.

††† Not. 62. Grotefendus quidem P. V. 27. et 28. non solum supa (II. b, 32. „supa pustra perstu.“ I. a, 19. et 16. „supa sumtu.“), sed etiam repugnante terminatione supo (VII. a, 8. „ape supo postro pepescus.“) sive sopo (VI. b, 5. „ape sopo postro peperscust.“) nominis, quod primae sit declinationis, ablativum singularem esse et pro subra (V. a, 20.) positum putat; at vero, ne plura dicam in re apertissima, ei, qui incorrupte atque integre iudicat, supa pluralem, supo autem sive sopo singularem esse accusativum neutrius nominis in promptu est.

†††† Not. 63. Ut vinu accusativus utroque, quem attuli, loco, ita vesklu II. b, 34. ex fertu pendet. Grotefendum enim P. VII. 24. in eo falli, quod hoc loco vesklu snatu asnatu ablativos et umen accusativum habet, comparato II. b, 19 intelligitur. Nam ut hic: „veskla snata asnata umen fertu,“ ita illic: „vesklu snatu asnatu umen fertu“ legimus. Iam quum veskla snata asnata plural. accusat ex fertu imperativo aptos esse pateat, itidem vesklu snatu asnatu singular. accusat. esse apparet. In simili errore Grotefendus P. V. p. 8. et 9. versatur, ubi I. b, 29. et 34. vesklu ablativo vasculo interpretatur; neque enim I. b, 29. „vesklu vetu atru, alfu,“ neque I. b, 37. „vesklu vetu“ ad antecedens kapi apposita esse possunt propterea, quod kapi non singularis est ablativus, sed pluralis instrumentalis, cuius f est abiectum, id quod non solum ex eo efficitur, quod illius nominis abla-

vatuvu I. b, 25. sive vatuo VII. a, 4. itemque VI. a, 57. VI. b, 1. 19. 43.*

Relinquitur, ut ea memoremus, quae utrum sint masculina an neutra incertum est. Huius generis sunt pe^qum I. a, 29. et 32. vel abiecta m littera pe^qu II. b, 9. et 24. sive perso VI. b, 24. et 37., i. e. preces**, furu I. b, 42. sive furo VII. a, 52.***; ulu I. b, 18. V. a, 25. 28. V. b, 4. sive ulo VI. b, 55.†

tivus singularis kapi^qe sive capirse est, sed etiam ex eo, quod VII. a, 39. et 45., qui loci illis respondent, kapi^f instrumentalis pluralis legitur. Etiamsi concedimus nihilominus I. b, 29. vesklu vetu propter addita atru et alfu adiectiva, quum duo veskla, atrum et album, memorentur, kapi^f nomini posse apposita esse, attamen I. b, 37., ubi adiectiva illa desunt, id parum probabile est. Iam vero I. b, 29. „vesklu vetu atru, alfu“ et I. b, 37. „vesku vetu“, si kapi^f substantivo non sunt apposita, ad aitu referri non possunt, idque ea de causa, quod imperativum illum sequuntur, non praecedunt. I. b, 37. autem quum verbum non exstet, ex quo vesklu vetu apta sint, errare patet Grotefendum P. II. 34., qui vetu adiectivum habeat, quod Latinorum sit fertum vel plenum. Itaque vetu non potest non imperativus esse, ex quo vesklu pendeat. Cum hoc vero imperativo quum kuveitu et a^qveitu conferenda sint, id quod etiam Grotefendo P. II. 34. in mentem venit, simplex vetu aequae atque a^qveitu compositum cum accusativo iungi verisimile est.

* Not. 64. Idem, quod I. b, 25. vatuvu, VII. a, 4., qui locus illi respondet, vatuo esse inde apparet, quod vatuvu umbrice scripti u finale o latini vim habet et quod in umbrica scriptura u, si ante vocalem positum est, v consonantem sibi affinem adseiscere solet. Pro singulari vero accusativo vatuo, qui VI. a, 57. VI. b, 1. 19. 43. legitur, I. a, 4. 13. 22. I. b, 3., qui loci illis respondent, pluralem accusativum vatuva invenimus. Ita rem esse quamquam facile est ad intelligendum, tamen Grotefendus P. II. 22. IV. 21. V. 26. 27. 28. utramque formam, vatuva et vatuvu sive vatuo, nominis, quod primae esset declinationis, ablativum singularem esse dixit. Ablativus quidem fetu sive feitu imperativum, cui illae formae copulae sunt, sequi solet, accusativus vero non minus. Ceterum quum inter vatuva et vatuvu sive vatuo eadem ratio sit, quae inter arvia et arviu sive arvio, inter pelsana et pelsanu, inter supa et supo eorumque Grotefendi interpretationem not. 49. 59. 62. refellerim, hic confutare levitatem eius opinionis supersedeo.

** Not. 65. Grotefendus Part. V. 28., quum pe^qi I. a, 29. et 32., quod cum proxime antecedente testruku et nertruku coniungendum est, accusativum ex feitu imperativo aptum perperam iudicaret, in eum errorem inductus est, ut pe^qum I. a, 29. et 32., quod ex feitu pendet, et perso, quod VI. b, 24. et 37., qui loci illis respondent, osatu imperativo adiunctum est, tertiae declinationis casum localem et pro pe^qem quidem positum esse putaret; postea tamen perso VI. b, 24. et 37. accusativum esse P. VI. 20. et 23. intellexisse videtur. Ut vero pe^qum I. a, 29. et 32., ita pe^qu II. b, 9. fetu imperativo itemque II. b, 24. Meritu imperativo iunctum est.

*** Not. 66. Etiam Grotefendus P. V. II. furu I. b, 42. sive furo VII. a, 52. accusativum habet, at minus recte, quamquam hutra sive hondra praepositionem eum sequi perspicuum est, ex hatutu sive hatuto imperativo cum aptum esse opinatur.

† Not. 67. I. b, 18. pro purtatulu, quod in archetypo invenitur, purtatu ulu legendum esse comparato portatu ulo VI. b, 55., qui locus illi respondet, apparet. Item ulu sive ulo, quum ut illis locis ex purtatu sive portatu imperativo, ita ceteris ex benurent pendeat, accusativum esse liquet. Quae vero huic vocabulo subiecta esset notio, eam excutere homines docti frustra conati sunt. Et Lanzius quidem Sagg. di Ling. Etr. Tom. I. p. 348. aut Lati-

§. 35.

Vocativus singularis masculinorum nominum proprie aequae ac dativus in o vocalem exhibat; saepissime vero ea e mutabatur, quare idem deus, qui VI. b, 26. et 27. Tefro Iovi, VI. b, 27. 28. 29. 31. 33. 35. 36. Tefre Iovie invocatur. Mirum sane videri potest in eadem tabula utramque terminationem inveniri et facile ex eo conicias plane aliam huius rei rationem esse; sed verisimilius attenuatione quadam et imminutione e ex o, quam o ex e profectum esse existimandum est. Quam ob rem Tefro, quamquam in sexta tabula invenitur, tamen antiquioris et plenioris inclinamenti exemplum habere non dubito. Illius quidem inclinamenti hoc unicum exemplum est; at vocativi in correptum e desinentis haec addenda sunt: Serfe Martie VI. b, 57. et 61., Fisovie Sansie VI. b, 9. 10. 12. 14. 15., Fisovie VI. b, 15*, Di Grabovie VI. a, 25. 28. 29. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 38. 39. 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 51. 53. 54. 55. sive Di Crabovie VI. a, 37., sive Dei Grabovie VI. a, 26., sive Dei Crabovie VI. a, 27.

Quod restat, ut in dativo, ita etiam in vocativo ie vocales in e vel i confluunt, ut pro Dei Grabovie VI. a, 24. et 25. Dei Grabove et VI. a, 23. Dei Grabovi legimus. Cf. Sade II. a, 24., Fisovi Sansi VI. b, 6. sive Fisovi Sansi VI. b, 8., Tefro Iovi** in locis, quos supra attuli.

Neutrius quidem nominis exemplum non exstat, sed quum in cognata lingua latina huius generis nomina in vocativo eodem modo, quo in nominativo et accusativo, desinant eademque in umbrica lingua eundem accusativi, quem nominativi, exitum habeant, etiam vocativus eorum similiter cecidisse videtur.

norum pronomini ollus, aut graeco ὄλλος id respondere arbitratur, quae utraque interpretatio falsa est his de causis, quod Latinorum hic et ille pronominibus id pronomen respondet, cuius ablativus singularis esu est, ut VI. b, 54. „ehe (ῥ) esu (hoc) poplu nosue ier, ehe (ῥ) esu (illo) poplu,“ et quod ubi Graeci spiritu aspero, ibi Umbri aequae atque Osci et Romani s littera utuntur, quo fit, ut Graecorum ὄλλος Oscorum sit sollus. Fest. p. 241. ed. Lindem. „Sollo osce dicitur id, quod nos totum vocamus.“ Cf. Paul. Diac. p. 141. Neque rectius Grotefend. P. V. 20. ulu sive ulo interpretatur ullum aut aliquid, quae si esset eius vocabuli vis, utique ad quam rem id referendum esset, ea verbo aliquo declaranda erat, portatu autem I. b, 18. notata esse nequit, quia huic VI. b, 55. portatu, qui est imperativus, non portato, qui est participii accusativus, respondet. Iam vero ulu sive ulo quum neque adiectivum esse possit neque pronomen, nihil relinquitur nisi ut substantivum sit, quod quidem quam vim habeat, non intelligo.

* Not. 68. Etiam Grotefend. Fisovie in verbis: „Fisovie, frite tiom subocau“ VI. b, 15., quamquam P. IV. 6. progenitivo Fisovier positum falso putaverat, tamen P. IV. 20. vocativum esse intellexit.

** Not. 69. De ea re, quod Tefro Iovi VI. b, 26. et 27., Fisovi Sansi VI. b, 6. sive Fisovi Sansi VI. b, 8. et Dei Grabove VI. a, 24. et 25. sive Dei Grabovi VI. a, 23. vocativi habendi sunt, vid. §. 48.